

# PALAESTRA LATINA

## Summarium

---

*Commercium Epistulare*

*Pio XII, Pontifici Maximo*  
(H. Martija).

*De duplici forma praeteriti perfecti*  
(M. López de Zubiria).

*Memoranda quaedam de civili apud hispanos*  
*dissensione*

*De vitae rusticae felicitate. Versio hispana*  
(J. Pastor).

*Quaestiones Litterariae*  
(G. Cabello).

*Molae Subterraneae*  
(Viator).

*Palaestra Exercitoria*  
(Palaesticus).

*Mirifica Portenta*  
(L. Marcos).

*Bibliographia*  
(J. Jiménez, H. Martija, G. Cabello).

# COMMERCIUM EPISTULARE

**Argentoratus signifero et capellano  
P. Josepho Jiménez, S. P.**

Tametsi pristinae tuae consuetudinis, qua semper usi fueramus, forsitan videbimur obliiti, nihil tamen a vero longius poterat accidere quippe tui perpetua eaque suavissima memoria tenemur, nunc ut cum maxime tuam cum Palaestritae operam ceterique litterarum Latinarum studiosi, quibus nos socios inscribimus, desiderabunt inque primis impiger Macarius noster cui quidem Palaestrae negotium commendatum nosti, omnium nostrum desiderio ac studio, sibi, licet meritissimo de Latinitate atque peritissimo viro, onus haud leve perferendum sit.

Nunc ad alia venio quae ad Congregationem nostram referunt.

Interea dum praeteriti jam anni Christi Regis solemnibus aderam quae, ut arbitror, omnibus jucundissima fuerunt atque Latinis a Te colloquiis Jovaeoque nostro exaratis aurem praeberem, haec inter alia in meam veniebant mentem, posse Te, humanissime vir, in lucem nonnullam operam edere quam primum, quae praecipue puerorum intersit, ut puta colloquia, eaque non modo soluto sermone aut carmine producendam verum etiam, ubi dabitur occasio, musice potiora saltem colloquiorum capita efferendo.

Quod ni tu, strenue, doctus et assuetus belli durissimos adire labores ejusmodi argumento dabis operam vel saltem viros musicos adsciscere curabis qui summo Numini honorem tribuere ac suum nomen commendare immortalitati volunt?

Multi sunt dies postquam P. Eventium Zubiri, chori nostri moderatorem, audivi docto pollice interpretantem musice opus melodramaticum a Patre Thoma Pujadas olim pro Sebabensibus ejus alumnis perpolitum quod «Los músicos de la luna» inscribitur.

Ipseque P. Eventius qui tantulam scribendi fecerat intercapedinem aliud, ut puto, parat opusculum «de Communistis» non minore arbitramur, proemio dignum et gloria, quamquam non una difficultate opella pro parvulis accommodanda careat quas tamen omnes vir oestro perenni ingenii faculibus ornatus quin brevi superet nemo dubitet.

An prudens consilium sit, colloquia Latina musicae notulis ornare necne, tui erit iudicii ipseque qui talia in se recipere possint aut velint consules.

Nobis satis superque fecisse officio videmur si viam ostenderit, aliunde non tibi ignotam, quam tamen invita Minerva, persequi nequimus.

**Josephus Jiménez Argentorato carissimo S. P.**

Cum victricia signa per fines patrios defixa virtutem hispani militis orbi universo praedicabant et cum hostes nostros in Galliam exules ejectos conspexisses, litterae tuae suavissimae et desideratissimae ad me pervenerunt. Et, quanquam de tuo erga me studio et amore nunquam dubitare ausus essem, tamen tunc certissime compertum habui quam firma sit et vera tua mei recordatio.


Jam diu rescribere tibi volui; sed in armorum palaestra, potius in ipso certamine constitutus aut tempus deficit aut animi tranquillitas. Nam, praeter officia sacra erga milites obeunda, opus fuit communitarum ruinas reficere, ideoque et aedes sacras erigere aut saltem abstergere, sacramenta ministrare sacrumque facere, dissolutos mores et doctrinas extirpare et profligare, pios et mites viros in fide confirmare.

Diutius tamen responsionem tuam protrahere nequeo; maxime his postremis diebus, in quibus fere diu noctuque manere opus est, nigrosque fumos captare: tanta fuit nivium copia, tantique et gelidi aquilonis vis ac impetus! Nec lugendum, nam Deus nobis haec otia fecit, quibus ut oportet ut meis erga te amicitiae et comitatis officiis recte fungi liceat.


Quid ergo ad tuas litteras? Consilium tuum placet et laudo de colloquiis latinis musicis modis aptandis. Nam quid dulcius auribus nostris quam modi musici, quid jucundius cogitare possit? Et nonne, teste Venusino, tulit omne punctum qui miscuit utile dulci? Praeterea, si lingua Latina quandam habet in se difficultatem et laborem, quid commodius, quid magis consentaneum quam ipsam difficultatem et laborem, quasi per jocum vincere, loquendo scilicet et canendo? Assuescant igitur pueri nostris Latinis colloquiis et quantum fieri possit musicis notulis ornatis.

Sunt in Palaestra et candidato colloquia Latina, quae, mutatis mutandis, facillime aptari possunt. Sed hoc est musicorum munus. Accedat igitur Eventius noster, accedat et Henricus carissimus, accedant et quotquot divinae artis fruuntur suavissima voluptate sapiuntque dulcedinem; nobis enim saltem dum arma togae non cedant, hoc erit furentis Martis strepitum audire. Saluta meo nomine Macarium nostrum et Palaestricos carissimos. Cura ut valeas.

In vico quem Puigcerdá vocant IX Kal. April A. D. MCMXXXIX. A. T. III.



**PIUS XII, PONTIFEX MAXIMUS**



Pio XII Pontifici Maximo  
ad solium Petri nuper evecto

**CARMEN AUSPICALE**

Regina Olympi, nunc iterum veni  
Et rumpe longum, Musa, silentium  
Quo te tyrannorum cruenta  
Saevities tenuit ligatam.

Ingrata menti desine tristibus  
Cantare chordis, desine funera  
Caecosque Iberorum tumultus  
Praeterito meminisse fletu.

In Vaticanis arcibus inside  
Atque supremum Pontificem cane,  
Qui scepra portans universi,  
Dervigili solio gubernat.

Canta Parentem Christifidelium,  
Canta Magistrum, qui sibi creditos  
Ut pascat agnos, jure «Pastor  
Angelicus» voluit vocari.

Petri plateam nonne frequentia  
Ingente plebis confluere aspicias,  
Omnisque Romana juvenus  
Cantibus ut recolat Parentem?

Frontem tiorae qui diademate  
Ornatus exit vesteque candida,  
Impertiens Urbique et Orbi,  
Fausta precans, benedictionem.

Salve, quem ovilis constituit ducem  
Christus Redemptor, teque per ardua  
Mundi viarum jussit agnos  
Dascere et ad patriam referre.

Lupi rapaces, sacrilegum nefas!  
Surgent vorare Christi adum gregem,  
Quem pastor electus superne  
Angelico baculo tuere.

Adversus hostes, te duce, strenui  
Bellum geremus, pectore fervido  
Vexilla ductoris sequemur,  
Agmine congregiente denso.

Ac si tuorum quis generosior  
Foedatus atro pulvere corruat,  
Quam dulce pro Christo et decorum est  
Magnanimam oppetiisse mortem!

Interea tu perge sed impiger  
Bellare mundum, vindice dextera,  
Donec Magistri pax amata  
Fulgeat irradietque semper

In orbe: vivas, o Pater omnium,  
Multos ad annos, fastaque litteris  
Expressa vitam, gesta, voces  
Duodecimi memorent Diorum.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

# De duplici forma passiva “sum vel fui” praeteriti perfecti.



QUANTO sit commodo atque utilitate iis qui qualibet lingua uti volunt, certos loquendi modos nosse in ea magis usitatos, nemo est qui nesciat. Quare nos rem facturos credimus gratam PALAESTRAE LATINAE lectoribus qui linguam Latinam possidere student, si eis ostendimus quodnam adsit discrimen inter hanc duplicem formam-eamque frequentissimam - praeteriti perfecti passivi “sum vel fui”. (1)

Apud probatissimos grammaticos et classicos qui audiunt auctores haec duplex forma temporum compositorum synonyma censetur ita ut sine religione indiscriminatim usurpari liceat? Minime. Neque defuerunt auctores neque desunt qui eam indistincte adhibeant. Quid ergo? abhorrere dicant a sermone Latino? Equidem, meo iudicio. Quam ob rem his postremis annis optimae grammaticae ab amatus fui cet. abstinere. Veniamus jam ad quaestionem de qua dicere suscepi.

## Sensus duplicis formae

Ut apertius rem explicemus exemplum in medium proferamus “*Templum clausum fuit-Templum clausum est*”. Quid de his locutionibus? Prior locutio (*templum clausum fuit*) nihil aliud exprimit nisi statum praeteritum, h. e., statum qui aliquando fuit, neque nunc manet. Altera autem locutio (*templum clausum est*) potest significare a) statum praesentem, h. e., permanentiam actionis olim positae aut b) actionem praeteritam. Nihil affirmatur de *statu* praesente neque praeterito. Unum hoc asseritur actionem illam olim positam fuisse. Estne differentia inter hanc duplicem locutionem? Audi Madvigium: “Haec duo (*est et fuit praeteriti perfecti passivi*) apud antiquos et natura et usu adeo sunt discreta, ut nunquam ante cadentem orationis veteris castitatem commutentur, nisi mendo scripturae aut interpretandi inscitia. Cum enim Latine dicimus, verbi causa “*fixum est*” utrumque significari potest, et “*fixisse*” aliquem, participio et verbo substantivo in unam notionem perfecti passivi coalescentibus, et nunc illud “*fixum manere*” ut participium statum aliquem rei significet; verbum eum statum nunc esse. Nec enim Latinus sermo praeteritum tempus rei gestae et praesens rei agendo effectae et manentis, nota ulla distinguit. Cum autem “*fixum fuit*”

(1) Quod dicimus de hac forma intellegas oportet de forma “*sim vel fuërim*” et, licet non eadem, severitate, de formis “*eram vel fueram*” cet.

dicitur, unum significatur, praeteritum tempus rei effectae et in statu aliquo manentis ut participio status; verbo, eum fuisse declaretur. "(Opusc. Academ. alt. opusc. V, § II).

## Exempla rem confirmantia

Sufficiat nunc pauca tantum ante lectorum oculos exempla proponere quae discrimen haud parvum perspicue confirmant.

"*Perditi cives in patria delenda sunt et fuerunt occupati:*" (Cic.) "*Sunt*" occupati: hic et nunc homines perditi patriam delere et evertere quaerunt atque student. En tibi, lector studioso, statum praesentem seu permanentiam iniquae occupationis - "*Fuerunt*" occupati: ecce status praeteritus illius actionis; fuit tempus quo homines, patriae inimici, eam vastare conabantur.

"*Me somnus complexus est*". (Cic.) Quare non dixit Cicero: "complexus fuit"? Somni complexus est quid transiens, quod Orator Romanus exprimere voluit, scilicet, temporis punctum quo res visibiles evolvant ex oculis, h. e., instans dormitionis, non statum praesentem somni neque praeteritum.

"*Bis deinde post Numae regnum Janus clusus fuit.*" (Liv.) Jani templi conclusio - apud Livium in hoc loco - est quid permanens, eventus qui tempori praesenti quodammodo opponitur - Bis post imperium Numae templum clausum mansit, ergo exprimitur non status praesens neque actio sed status praeteritus.

"*Acrius in eo loco pugnatum est.*" (Caes.) Praelium de quo nobis magnus Imperator Romanus hic loquitur fuit crudele - His verbis ergo Caesar sibi proposuit manifestare non durationem vel praelii statum sed saevitiam ipsius, h. e., eventum seu actionem praeteritam sine ulla cum tempore praesenti conexione.

"*Quandiu mihi, consuli designato, Catilina, insidiatus est.*" (Cic. in Catil.) Cum orator Romanus haec faciebat verba, instabant vehementes insidiae in eum.

Ecce eventus praeteritus, cujus tamen effectus adhuc perseverat.

Quibus exemplis alia sexcenta addere possum rem omnino comperitam tradentia. Sed haec sufficiunt quod nulla addita explicatione differentiam manifestant.

Sit igitur haec conclusio ex iis quae a me hactenus dicta sunt: duplicem formam praeteriti perfecti passivi "sum vel fui" cet. esse distinctam et minime indiscriminatim adhiberi posse.

MACARIUS LÓPEZ DE ZUBIRIA, C. M. F.

# Memoranda quaedam de civili apud Hispanos dissensione

## Quanta animi fortitudine mortem filiorum parentes ferant

Recens ad me pervenerunt binae litterae a Bernardino Ganuza et Francisca Santesteban fratri suo Anselmo Santesteban C. M. F. datae occasione mortis duorum filiorum qui contra communistas pugnando in castris Basconiae gloriose occubuerunt. In ipsis refert pater ingenuitate mira filiorum mortis, funeris adjuncta, necnon quan-



ta animi fortitudine simul ac sancta laetitia hoc tulerint non quasi adversae fortunae sed Dei potius largitati tribuendo duorum martyrum parentes exstitisse.

Jam vero pergratum aliquid lectoribus me facturum credidi si has binas litteras, earum nativa simplicitate servata, latine tradiderim.

*Vivat in aeternum Christus Rex noster!*

*Luquini in Navarra die 8 Maji a. 1937.*

*Rdo. P. Anselmo Santesteban fratri carissimo: In mentem habui tuis litteris rescribere: nunc vero hoc facio duplici nempe ratione ut tibi responsionem tribuam atque ut de recentiore quodam eventu certiore te faciam.*

*Vere animus movetur diebus illis in quibus nuntium de morte quorundam filiorum ad parentes defertur: sed nunc apud nos omnem affectionem superat jubulum et laetitia, qua nuntium accipitur, Deum benedicendo et laudando Christoque Jesu et Cordi Immaculato Mariae gloriam ex corde tribuendo.*

*Kalendis majis in castris inter Marquinam et Amorebietam in Basconia positis Samuel noster gloriose decessit. Hoc ipso die dimicare coeperunt tres nationalium manipuli. Samuel primo adscriptus erat, etsi postremus in pugnam prodiisset. Hoc die fortuna adeo adversa filio fuit ut, nulla sclopeti explosione facta, perierit.*

*In loco campestri collibus circumdato pugnandum erat. Milites in primum collem pinorum plantatione obumbratum ascensum fecerunt; ac dein haud satis magna vallis, omnino aperta, intercedebat qua progrediendum erat ad proximum collem. Hostes, qui milites ascendentes animadverterant bellicas machinas in eos dirigunt eosque inscios inopinantesque continuis ictibus opprimunt, quin viam habuerint ut in pugnam descenderent. Statim centurio manipularios in terram jacere jubet; manum delegit ut apertam vallem transeat, quos inter Samuel noster erat: nam ceteri milites plus septem horarum humi jacere coacti sunt dum hostes copiosa telorum ac glandium ejectione eos, velut umbra tegere videbantur. Tunc Samuel noster, paulum ab eo loco progressus, glande forti ictus, ut fidelis Christi miles, pie obcubuit postquam continuis sex mensibus diu noctuque hostium motus vigilans in fossis permanserat. Singulis diebus sanctissimum Rosarium Virgini Matri persolvebat atque cum e castris in civitatem redibat, sacram Eucharistiam fortium nutrimentum reverenter recipere solitus erat.*

*Cum progressus in Castris Basconiae caepti sunt ipse in primam aciem est adductus. Tunc ille litteras ad nos misit Escoriazae in civitate signatas, in quibus praeter alia haec scripsit: «In hac civitate spectamus donec in primam aciem deducamur: omnes absolutionem et sacram Sinaxim accepimus: gratia Dei nostris cordibus inest: nihil nos deterrere faciet. Inimicorum telis pectora nostra opponere non dubitabimus: nam Deus nobiscum dimicat.»*

*Samuelis mortem omnino felicem fuisse sine ambagibus adsero, tum quia ut animadvertit periculum nihil aliud fecit nisi Deo et Sacratissimo Cordi Mariae sese commendare, tum quia postquam letale vulnus accepit, intervallum aliquod temporis ante mortem preterit, quo perdurante lacrimis contritionis et martyrii sanguine terram irrigavit*

*Dies luctus et doloris huic vico Luquinensi dies prima maji extitit. Hora octava serotina militem quendam tormentarium in hoc vico natum mortalia vulnera accepisse a Burgis urgerent nuntiatur, hac nempe ratione ut si parentes ejus ante mor-*



*em visere velint, festinarent quantum possent... Sed continuo nuntium a Marquina pervenit Ceferinum Echevarria recens periisse. Is Samuelis nostri erat omnium amicorum fidelissimus. Soror tua ubi intellexit esse mortuum hunc Samueli nostro amicum adeo carum, profus e lacrimari coepit, meque rogavit ut ad parentes confortandos adirem.*

*Sed o res mirabilis! ubi ego domum ingredior, omnes pro collato favore gratias Deo referentes invenio. Quibus ego statim: omnes nunc, dixi, ante diem ad haec semper sumus; vobis hodie, cras nobis «Quae cum dixissem, quendam me appellentem animadverti, qui dixit mihi: atque etiam, ut opinor, domi tuae aliquid novi est» Cui ego: «nihil in domo mea, nisi quod soror mea ut Magdalena, nunc Ceferini causa copiosas lacrimas fundit.»*

*Jam domum revertabar, cum mulier quaedam ad aures susurrat: «Samuelem tuum etiam periisse fama est.»—Unde, quaeso, haec fama orta est?—Miles quidam Majoris vici, ait illa, qui eidem manipulo cui Samuel adscriptus erat, at nunc in nosocomio jacet, vulneribus coopertus, hoc ad nos detulit Praeterea id per telegraphum nuntiatum esse dicunt. «Haec dies civibus Luquinensibus quam sit lugenda! Burgensis graviter vulneratus in nosocomio jacet, Ceferinus periit...—et paulo post—Samuel Ganuza etiam hodie gloriose decessit.»*

*Haec cum audissem, statim exii cum Josepho filio in Urbiolam, ubi statio telefonica sita est, ut de omnibus certior fierem. Ibi dimidiam fere partem civium Luquinensium inveni: lugebant omnes, nos vero magna tranquillitate fruebamur. Samuelis mortis certitudinem accepimus. Tunc Josephus; «At nunc quisnam matri nuntium referet?—Ego ipsemet, dixi. tu, pater mi? ait ille.—Quare non, fili mi? Laetari oportet et festum celebrare potius quam funera: filius enim martyrii coronam adeptus est «At Josephus iterum:» Festinabo paulisper, matrique dicam Samuelem vulnera accepisse*

*Domum revertimur, eamque ingente multitudine a foribus per triclinium usque ad culinam omnino occupatam reperimus. Tunc Josephus matri de filio vulnerato simulata narrabat..., sed ipsa sedens super sellam juxta manulem culinam, ubi primum me vidit: «Quid novarum rerum, ait, de filio refers?» Ego vero: «Hoc tantum novi refero, quod, festum celebrare debemus; filius enim noster hodie martyrium subiit.» Quae cum audisset; majestate quadam sese erigens, manusque in caelum tendens, signaque laetitiae proferens: «Deo gratias, ait, pro favore tanto agamus. Hic quidem dies memorandus erit nobis in perpetuum.» Et continuo in multitudinem plorantem conversa, haec habuit: «Nolite flere, gloria enim martyrum non est lugenda. Mecum omnes Sancti Rosarii coronam Virgini Matri neclite.» Ac ipsamet genibus flexis, nullo commotionis signo expresso, preces Rosarii devote perfudit. Ego virtutem mirabar qua uxor, Deo juvante, nuntium pertulit, ac fere commovebar. Mirum equidem est matrem contemplari quae primum post acceptum mortis carissimi filii nuntium, Rosarium integro animo persolvat.*

*Exubiae filii die IV, hora VII matutina adductae sunt ad rupem inter Urbiolam et Luquinum, ibique super funebre tabulatum, universo populo adstante, militibus Phalangis et traditionis honorem deferentibus, depositae sunt, unde omnibus comitantibus, domum sunt deductae. Cum cadaver ad fores domus magno honore deferebatur, voce elata dixi: «Hoc erit mihi magnum decus, quod filius meus pro Christo et pro Patria martyr occubuit, quapropter, Deo gratias refero. Nunc vero et toto corde ignosco inimico Christi qui filio meo mortem intulerit, atque vos omnes deposco ut pro ejus ad Deum reditu preces ferventer effundatis.» Continuo absolutio super tumultum facta est, qua finita, cadaver ad cubiculum principem domus delatum, ibi publicae civium venerationi sub custodia militum manipularium ad diem subsequentem permansit.*

*Die vero V, hora X matutina, tumultatio facta est. Cadaver ad ecclesiam est delatum, quo universus fere populus convenit. Vel octo signa seu vexilla, totidem manipulis respondentia una cum Pelajorum et Sagittarum dlecta manu tumultationi aderant. Finito funere, Parochus orationem habuit de gloria martyrum qui pro Patria et pro Christo sanguinem generosum effuderunt Deinde Nicander noster magnifice locutus est; gratias egit adstantibus nomine parentum et consanguineorum, ac postea de heroum gloria eorumque parentum honore qui in timore Dei filios instituerint. Haec eadem Raymundo filio et Samueli nepoti scripsi.*

*Vale mi desideratissime Anselme.*

BERNARDINUS GANUZA

Domino Raimundo Llavall ejusque egregiae conjugae et familiae, in amoris et grati animi pignus.  
Placet hunc fasciculum florum vitae campestris a Vergilio depictae vobis offerre memorando tempore collectum sub amoris vestrarumque sollicitudinum calore.

## DE VITAE RUSTICAE FELICITATE

In Georgica. (Lib. II 458-540)

*O fortunatos nimium sua si bona norint  
Agricolae! quibus ipsa, procul discordibus armis,  
fundit humo facilem victum justissima tellus.  
Si non ingentem foribus domus alta superbis  
mane salutantum totis vomit aedibus undam,  
nec varios inhiant pulchra festudine postes,  
illusasque auro vestes, Ephyreiaque aera;  
alba neque Assyrio fucatur lana veneno  
nec casia liquidi corrumpitur usus olivi:  
at secura quies et nescia fallere vita,  
dives opum variarum; at latis otia fundis,  
speluncae, vivique lacus; at frigida Tempe,  
mugitusque boum, mollesque sub arbore somni  
non absunt; illic saltus ac lustra ferarum  
et patiens operum exiguoque assueta juvenus;  
sacra deum, sanctique patres; extrema per illos  
justitia excedens terris vestigia fecit.  
Me vero primum dulces ante omnia Musae  
quarum sacra fero ingenti percussus amore  
accipiant; coelique vias et sidera monstrent;  
defectus solis varios, lunaeque labores;  
unde tremor terris; qua vi maria alta tumescant  
objicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant;  
quid tantum Oceano properent se tingere soles  
hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.  
Sin has ne possim naturae accedere partes,  
frigidus obstiterit circum praecordia sanguis;  
rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes;  
flumina amem, silvasque inglorius. O, ubi campi  
Sperchiusque, et virginibus bacchata Lacaenis  
Taygeta! O, qui me gelidis in vallibus Haemi  
sistat et ingenti ramorum protegat umbra!  
Felix qui potuit rerum cognoscere causas;  
atque metus omnes et inexorabile fatum  
subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari!  
Fortunatus et ille deos qui novit agrestes  
Panaeque, Silvanumque senem Nymphasque sorores!  
Illum non populi fasces, non purpura regum  
flexit et infidos agitans discordia fratres;  
aut conjurato descendens Dacus ab Istro.  
Non Res Romanae perituraque regna; neque ille  
aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.  
quos rami fructus, quos ipsa volentia rura,*

A D. Ramón Llavall, a su distinguida esposa y familia, en testimonio de afecto y gratitud.  
Me complace en ofrecerles este humilde ramillete de flores de la vida campestre cantada por Virgilio, nacidas en momentos inolvidables al calor de vuestro cariño y de vuestros desvelos.

## VERSIO HEXAMETRIS HISPANIS VERSIBUS FACTA

¡Oh sobrado dichosos si el bien de que gozan supieran,  
los campesinos! Dióles fecundo, justísimo el agro  
fácil sustento, colmando sus lares de dulce reposo.  
Si no ingente del alto palacio estremece las puertas,  
de ávidos clientes la ola que el sol matutino levanta,  
concha preciosa tampoco fulgura en sus pórticos varios.  
ni áureos vestidos, corintios metales ostentan  
lana tiñendo de asirio veneno, ni el líquido suave  
pródigos gastan de oliva mezclada con rara canela;  
¡ah! cuál gozan seguro reposo en su vida sencilla,  
rica en fortuna tan varia; ni falta en sus amplios dominios  
ocios y grutas, lagunas vivientes y el frígido Tempe;  
vacas mugientes, los sueños tan dulces que el árbol regala;  
bosques frondosos, profundas guaridas do viven las fieras;  
parca en sustento, sufrida al trabajo florece la infancia.  
Lares dichosos, del cielo santuarios; cual dioses los padres;  
de ellos al cielo justicia volara imprimiendo sus huellas.  
Que antes de todo primero me acojan benignas las musas,  
gozo rindiéndoles culto de amores al son de mi lira;  
muéstrenme el curso del cielo, las leyes que rigen los astros.  
¡Oh, si supiera del sol y la luna las varias mudanzas,  
quién estremece la tierra, por qué se levantan altivos  
mares quebrando sus diques y tornan de nuevo sin frenos;  
quién tan veloces sepulta en las aguas los soles de invierno,  
cuáles osados retrasan en noches eternas la aurora!  
Si es que no alcanzo a saber los misterios que cela natura  
fría teniendo en mis venas la sangre, que al menos me plazca  
ver sonrientes los campos, el arroyo que riega los valles;  
selvas umbrosas, los ríos tan plácidos, ame sin gloria.  
Llanos de Esperquio, Taigete que vírgenes huellan bacantes,  
flores de Esparta! ¡Feliz, a los valles helados del Hemo,  
quién me llevara, cubriéndome ingente su sombra de ramas!  
¡Oh, afortunado el que puede saber de este mundo las causas,  
fuerte domar con su pie los temores y el hado inflexible,  
calma imponer al estrépito sordo de avaro Aqueronte!  
¡Oh, afortunado también el que viera a las Ninfas hermanas,  
dioses agrestes y a Pan conociera y al viejo Silvano!  
El contemplara con ojo sereno las fascas del pueblo,  
púrpura regia jamás le abatiera, o discordia que agita  
pérfidos lares, o el Dacio en conjura que deja el Danubio.  
No la gran Roma o caducos imperios, ni viera penando  
triste indignancia, ni envidia tuviera tampoco al potente.  
Toma los frutos que el árbol y el suelo de grado le ofrecen;

*sponte tulere sua, carpsit, nec ferrea jura  
insanumque forum aut populi tabularia vidit.  
Sollicitant alii remis freta caeca, ruuntque  
in ferrum, penetrant aulas et limina regum;  
hic petit excidiis urbem miserosque Penates  
ut gemma bibat, et Sarrano indormiat ostro;  
condit opes alius, defossoque incubat auro;  
hic stupet attonitus Rostris; hunc plausus hiantem  
per cuneos geminatus enim plebisque patrumque  
corripuit; gaudent perfusi sanguine fratrum  
exsilioque domos et dulcia limina mutant,  
atque alio patriam quaerunt sub sole jacentem.  
Agricola incurvo terram dimovit aratro:  
hinc anni labor; hinc patriam servosque nepotes  
sustinet; hinc armenta boum, meritosque juvencos.  
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,  
aut foetu pecorum, aut Cerealis mergite culmi  
proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.  
Venit hiems: teritur Sicyonia bacca travetis;  
glande sues laeti redeunt; dant arbuta silvae;  
et varios ponit foetus autumnus et alte  
mitis in apricis coquitur vindemia saxis.  
Interea dulces pendent circum oscula nati;  
casta pudicitiam servat domus; ubera vaccae  
lactea demittunt; pinguesque in gramine laeto  
inter se adversis luctantur cornibus haedi.  
Ipse dies agitat festos, fususque per herbam,  
ignis ubi in medio, et socii cratera coronant,  
te libans, Lenaeae, vocat; pecorisque magistris  
velocis jaculi certamina ponit in ulmo;  
corporaque agresti nudant praedura palaestrae.  
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini;  
hanc Remus et frater; sic fortis Etruria crevit;  
scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma,  
septemque una sibi muro circumdedit arces.  
Ante etiam sceptrum Dictae regis, et ante  
impia quam caesis gens est epulata juvencis,  
aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.  
Necdum etiam audierat inflari classica, necdum  
impositos duris crepitare incudibus enses.*

no conoció los archivos, ni férreas leyes o insano  
foro; solícitos unos con remos agitan los mares  
ciegos y audaces persiguen mortíferos dardos o espadas;  
nobles moradas y regios palacios frecuentan;  
este ambiciona en la ruina de pueblos y pobres penates  
copa libar de zafiro, dormir sobre sedas tirianas;  
oro amontona un tercero que vele su sueño de avaro;  
lleno de asombro contempla la magna tribuna un ingenuo;  
pásmale al otro el unánime aplauso de pueblo y senado;  
gozan algunos vertiendo la sangre de dulces hermanos,  
ya voluntario destierro a los lares nativos prefieren  
patria buscando con nuevos magníficos soles.  
¡Sólo el labriego los campos remueve con curva mancera!  
este es del año el trabajo; del agro criados y deudos  
patria y ganados, lozanos novillos sustenta.  
No hay merecido reposo en la ruda labor sin que el año  
crías rebose y sus frutos variados, y recias espigas  
surcos abrumen y cruja el granero en sus vigas maestras.  
Llega el invierno; y sudan las prensas con pingües olivas;  
tornan los cerdos ahitos de dulces bellotas; madroños  
fértil prodiga la selva, sus frutos variados otoño;  
soles maduran en monte abrigado la grata vendimia.  
¡Oh, qué besos prodiga entre tanto el labriego a sus hijos!  
Casto solar inocencia resguarda: destilan las vacas  
leche en sus ubres, y pingües en césped orlado de flores  
luchan cabritos con cuernos adversos en ruda contienda.  
Siempre guardara el labriego las fiestas, y en hierba tendido  
fuego en las aras y en torno a la copa, a ti con los suyos,  
Baco, libando te invoca, y en olmo a los dardos veloces  
blanco y corona prepara de diestros pastores rivales.  
Templan desnudos su cuerpo de acero en la ruda palestra.  
Tales vieron en tiempos dorados los viejos Sabinos,  
Remo y su hermano, y la festirpe guerrera de etruscos,  
y aún empuñó de los mundos el cetro pulquérriba, invicta,  
Roma y juntó soberana en su seno las siete colinas.  
Y antes de Jove el Cretense y que impíos los necios mortales  
cruales cebasen sus dientes en carnes de pobres novillos  
áureo esta vida en la tierra Saturno vivía.  
Aún las trompetas no habían sonado fatídicas, aún no  
yunques templaran con sordo rumor las vibrantes espadas.

JULIAN PASTOR, C. M. F.

# QUAESTIONES LITTERARIAE

**SCRIPTIONIS FORMA.**—Epistulae ac litterae scribi charta transversa solebant; nimirum: lineis angustiori pagellae lateri parallelis ut in papyris in Aegypto repertis conspici licet. Publicae vero epistulae semper transversa charta dabantur. Scripsit tamen Suetonius C. Julium Caesarem ad Senatum Epistulas convertisse ad paginas et formam memorialis libelli iisdem tribuisse; hoc est pagellam seu chartam in duplicem aequalem partem plicare suevit fortassis, ne perlongis lineis scribere teneretur.

**EPISTULARUM DIVISIO.** Epistularum divisio procedere debet vel a re tractata vel ab earumdem fine. Rem materia continet, ait Beyerlinck uti infra, quae perscribenda est; quidquid enim sermone communicamus et litteris possumus. Sic alia materies sit seria, docta, familiaris publica deinde et privata. I. «Si rem aut materiam de qua agitur, spectemus epistula esse potest...»

1.<sup>o</sup> «Scientifica aut philosophica» prout de scientiarum principiis et conclusionibus agat, vel veritatis objectum discutiat. 2.<sup>o</sup> «Critica», si de rerum factorumque fundamentis iudicium proferat. 3.<sup>o</sup> «Historica» si de praeteritis gestis pertractet. 4.<sup>o</sup> «Moralis» si quaestiones evolvat morales aut normas exponat recte operandi. 5.<sup>o</sup> «Erudita», si de rebus curiosis et raris studium instituat. 6.<sup>o</sup> «Artistica» si de regulis quarumcumque disputet artium. Erit ergo ex gr. 7.<sup>o</sup> «Litteraria», si axiomata accepta, probataque principia litterariae artis explicet atque declaret. II. «A fine ipsarum perpenso...» «Est enim epistulae finis, aiebat Beyerlinck (1) affectus testatio aut significatio alicujus rei quam absentes scire volumus, quod aut nostra aut ipsorum intersit».

Sic igitur dici epistula potest... 1.<sup>o</sup> «Commendaticia», dum praestanti viro qui ipsi faveat, aliqua nobis grata et cara persona, gratitudinis, commiserationis, amicitiae, cognationis, probitatis adductis rationibus commendatur. 2.<sup>o</sup> «Petitoria», cum pro nobis aut pro aliis aliquid ab aliquo enixe ardentibusque exquirat votis. 3.<sup>o</sup> «Consolatoria» quando aliis conso-

lationis et patientiae rationes ad animum illorum in adversis levandum erigendumque proponat. 4.<sup>o</sup> «Exhortatoria» quae cuidam consilium dat ut aliquid in finem perducatur. 5.<sup>o</sup> «Gratulatoria» quae alicui de secundo felice successu gratulatur signaque amica gaudii et laetitiae testatur. 6.<sup>o</sup> «Eucharistica» quae de acceptis beneficiis gratias agit, sinceraque gratitudinis testimonia ostendit. 7.<sup>o</sup> «Excusatoria» quae causas aperit quibus rescribens precibus, votis ac voluntati rogantis satisfacere impeditur ipsiusque dolorem ob negationem declarat. 8.<sup>o</sup> «Nuntiatoria», si per eam quod eventurum aut faciendum est annuntiatur. 9.<sup>o</sup> «Narratoria» si in ea alicujus gesta momenti quae ipsorum referant summam exponuntur. 10.<sup>o</sup> «Executoria» si quod imperatum est, quemquam, ad perficiendum, constringit. 11.<sup>o</sup> «Pragmatica» vero qua aliquid servandum aut faciendum praescribitur. 12.<sup>o</sup> «Metatoria seu Adventoria» quae obviam amico vel inimico adventanti ad aliquid praenuntiandum vel de aliquo praemonendum mittebatur. 13.<sup>o</sup> «Commonitoria» seu memorialis dicta qua instruebantur legati de singulis ad quae mittebantur agenda. 14.<sup>o</sup> «Comminatoria» per quam quis gravibus insequitur minis. 15.<sup>o</sup> «Laureata» quae lauro involuta a Romanis Imperatoribus in victoriae signum ad Senatum mittebatur. 16.<sup>o</sup> «Circulares» seu Encyclicae quae a Principe vel regio consilio ad totam ditionem ipsi subditam rescribebantur. 17.<sup>o</sup> «Paciferae» quae de pacis negotiis agebantur. 18.<sup>o</sup> «Dimissoriae» erant illae litterae quibus declarabatur civem de voluntate aut mandato Principis aliquo ad quodpiam faciendum esse profectum. 19.<sup>o</sup> «Variae» dicuntur epistulae cum de rebus diversis agere solent.

**ENCOMIUM EPISTULAE.**—Perpulchram epistulis laudem attribuunt S. S. Magni Patres Basilius et Ambrosius. Sic se habent.

S. BASILIUS, epistulam, censet esse reputandam inter maxima Dei dona, quod quam longissime propter distantiam locorum sejunctis per alloquium litterarum mutuo coalescere fas sit. (Epistula 55).

GREGORIUS MARTINEZ CABELLO, C. M. F.  
(Sequetur).

(1) L. Beyerlinck—Magnum Theatrum Vitae Humanae—T. III—vocabulary—Epistula.

# MOLAE SUBTERRANAE

## SEU ULTIMAE HORAE CULTUS IDOLORUM ROMANI (1)

Fabulam in V actus descriptam ex lingua Italica transtulerunt reverendissimi Dni. Werner et Melher, Latine reddidit P. Ant. Er. Viator, S. V. D.

Actionis locus: Roma (Atrium Probi, Atrium Saturni, forum, molae subterraneae).

Tempus actionis: Imperatore Theodosio (a 388 post Chr. n.)

### ACTUS TERTIUS

#### SCAENA TERTIA

##### PROBUS ET ITALICUS

(*Probus in cogitationibus defixus, postquam intravit, in sede curuli considit tarde. Italicus interea Probum veneratus in sua statione manet immobilis.*)

PROBUS. Italice.

ITALICUS. Mi domine (*accedit ad eum*).

PROBUS. Dic mihi, num aerumna mihi accidere potuerit funestior! Ubi nunc es, Caecili, mi Caecili? In omnium patriciorum aedes dimisi nuntios; amicis familiaribus mandavi, ut omnibus locis publicis percontarentur; adii praetorem qui magistratus inquisitiones et indagaciones subtilissimas instituere iussit. Supplex adii Imperatorem, qui cursores atque excubias ad Ostiae portum et omnes urbes vicinas cum mandatis gravissimis illico emisit. At omnia adhuc frustra... omnia frustra! Hoc haesitare in dubitationibus acerbissimis horribilius est morte ipsa... Patrem non esse censeo eum, qui animum meum tam dire vexet atque cruciet... Et quis erit? (*cogitat meditabundus*) Nihilne reperisti, Italice, quo verum possumus investigare?

ITALICUS. Nihil aliud ac quae tibi dixi. Homo quidam auctoritate gravi, splendida veste indutus, venit et se a te et Imperatore huc missum esse affirmavit. Filius tuus nobilissimus laetitia exultavit. Homo alienus apprehendit ejus dextram et eum eduxit. Quae narravit camerarius.

PROBUS. Cur ex eo quiescitum non est, num haberet litteras mea manu scriptas?

ITALICUS. Ostendit tesseram palatii aditalem ab Imperatore subscriptam.

PROBUS. Attamen aliquem servum comitem filii esse oportuit, id quod erat necessitatis ac prudentiae.

ITALICUS. Ostiarius egit cum advena dicens se vocaturum esse famulos nunc cenantes; alter satellites imperatoris lectarios in foro jam expectare respondit. O calamitatem luctuosam! Omniane conjuraverunt contra me?... Nondumne advenit Valens.

ITALICUS. Non advenit... Sed ignosce mihi quaerenti: Tibine sunt inimici?

PROBUS. Neminem unquam offendi. At horis praeteritae noctis ex animo meo exorta est suspicio plena terroris... Neque tamen fieri potest. Romae dominatur Imperator... Nondum omnis spes evanuit. (*Morulla*) Italice! omnesne servi rediere?

ITALICUS. Redierunt.

PROBUS. Ostiarium quemquam emittere ex palatio veta, quin ego ipse permittam. Denuo ex servis habebō quaestionem. Abi. (*Italicus abiit*).

#### SCAENA QUARTA

PROBUS. (*Solus; immobilis*) Quam graviter haec calamitas immanis cecidit in me senem! Vivisne adhuc, Caecili? Suspicione quadam eum vivere confirmor. At si traheretur ad loca ista horris plena, ante idolum quoddam nefarium... devinctus... facie velata, oculis distortis, si cultro sacerdotis idololatrae... Oh! (*Expandit manus quasi defensusurum filium a caede obeunda*).

(1) Haec fabula dramatica edi coepta est anno MCMXXXVI mense Martio, et ad scaenam usque tertiam actus ferti protracta. Reliqua quae typis nondum mandata erant consumpta vel extincta putabam in Hispaniarum novarum rerum voragine, aedtumque Cervariensium expugnatione; jamque fabulam ad finem perducere desperabam Sed placuit Deo ut exemplar "Molarum Subterraneorum" apud auctorem invenirem, quod ipse benigne et humaniter concedidit evulgandum. Ergo lectorum venia ab scaena tertia ferti actus ordiemur. Actuarius.

## SCAENA QUINTA

### ITALICUS ET PROBUS

- ITALICUS. (*Affert tabellam pergamenam obsignatam*). Domine!
- PROBUS. (*Tarde*) Nuntiumne affers de filio meo?
- ITALICUS. Homo quidam ignotus hanc epistulam mihi tradidit tibi dandam. (*Porrigit ei epistulam*).
- PROBUS. Quid esse videtur? Fortasse nuntius faustus. (*Aperit et considerat epistulam*). Sine auctore..., legam (*legit*) Filium tuum nunquam videbis nisi retuleris ad senatum, ut ara Victoriae in foro restituatur, et nisi effeceris, ut Imperator annuas Imperii pecunias sacrificulis praestandas confirmet. Uno verbo prolato, quo hanc epistulam commemoraveris, Caecilius morietur". Domine Deus! (*Mora; surgit. Ad Italicum*) Quis tradidit tibi hanc schedam?
- ITALICUS. Modo dixi: homo quidam mihi ignotus.
- PROBUS. Nonne vidisti ejus vultum? Patricius tibi esse videbatur an cultor idolorum sacerdos, an homo plebejus?
- ITALICUS. Senex quidam plebejus.
- PROBUS. Nihilne dixit?
- ITALICUS. Haec pauca verba: "Hanc schedam da domino tuo". Tunc abiit.
- PROBUS. Verba pronuntians alienigenam se praebat an hominem Romanum?
- ITALICUS. Sermo erat Asiaticus.
- PROBUS. Nunquamne vidisti eum alibi?
- ITALICUS. Nunquam! (*Probus manet in cogitationibus defixus; Italicus paulisper exspectat et abiens secum loquitur*). Fortasse calamitatem novam!
- PROBUS. Crudeliter provocor!... Somnari mihi videor. Sed haec scheda est atrocitate vera! (*Legere pergunt*). "Filius tuus nunquam videbis". Properabo ad Imperatorem neque, quicumque es, poteris effugere... At nota ultima: "Uno verbo prolato, quo hanc epistulam commemoraveris, Caecilius morietur". (*Scheda e manu ejus decidit; Probus considit lassus ac defatigatus*). Num ipse capitis eum damnare cogar? Quam horren-

dam conditionem patris, qui, ut officium exequatur suum ipsius filium debeat tradere! Num ideo donasti, mi Deus, filium, ut totam hujus calamitatis acerbissimam degustarem? Caligo offunditur oculis... Non jam possum onus perferre, mi Deus. (*Cubita ponit in mensa juxta sedem et faciem operit manibus*).

## SCAENA SEXTA

### Valens, Probus, Italicus, tunc Numida

- ITALICUS. (*Praecedat Valentem, quem venisse nuntiat Probo*). Valens tribunus.
- VALENS. (*Intrans*). Optime avuncule. (*Properat ad eum. Italicus Valentem venerabundus salutat et abit*).
- PROBUS. (*Demonstrat schedam humi jacentem*). Tolle et lege!
- VALENS. (*Suscipit et legit*). Paginam nefastam! Sed Caecilium reperiemus et ex eorum manibus eripiemus, etiamsi esset... Ne defeceris animo! Indagationes augebimus.
- PROBUS. Cujus manu scripta haec epistula esse tibi videtur?
- VALENS. Epistulam sacerdotem aliquem Jovis scripsisse apparet. Considera, quam eleganter ductae sint litterae; responsio oraculi esse videntur.
- PROBUS. Quid faceres tu?
- VALENS. Ego? Ac primum quidem omnes sacerdotes idololatrias, victimarios, custodes, omnes fraudatores, magos in vincula conjicerem, tum templa e fundamentis eruerem, jam filius tuus certo reperiretur.
- PROBUS. Quid, si non essent cultores idolorum sacerdotes? Si esset eques quidam vel senator, qui studiosissimus est cultus antiqui?
- VALENS. Litterarum ductus senum nostrorum nosti. Omnes fere scribunt pessime neque tam imprudentes sunt, ut res secretas confidant scribis.
- PROBUS. Recte judicasti. Sed nondumne reperisti quidquam? Num conlocutus es cum praetoribus et quaestoribus? Prosperene indagasti? (*Numida semel atque iterum introspicit auscultans*).

A. EREM. VIATOR, S. V. D.  
*Sequitur.*



# PALAESTRA EXERCITORIA

## COMPOSITIONES VERTENDAE

### PRO ALUMNIS PRIMI CURSUS

#### El juego

Grande, *insignis*; montado, *insidens* (peñit dativum); hijito, *filiolus*; remedar el trote del caballo, *equitare*; evitar, *fugere*; cazar, *captare*; palacio, *regia*; traspasar, *configere*; en cierta ocasión, *aliquando*; preguntado, *rogatus*; si había, *essetne*; si quiera, *quidem*.

Los grandes hombres también han jugado. Agesilao, rey de Esparta, montado con su hijito en una larga caña, remedaba el trote del caballo. Sin embargo debéis evitar la crueldad en los juegos.

El emperador Domiciano solía cazar las moscas de su palacio y traspasarlas con una aguja. En cierta ocasión preguntado el portero si había alguien con el emperador, respondió: "ni siquiera una mosca."

### PRO ALUMNIS SECUNDI CURSUS

#### Jactantia semper ridicula

*Quondam*, cierto día; *reptare*, arrastrarse; *procul*, lejos; *quamquam*, aunque; *libere*, agradar; *sedere*, posarse; *impudentia*, descaro; *ut*, como; *fervere*, calentar; *ubi*, luego que, cuando; *agere vitam*, vivir; *ver*, primavera.

*Quondam musca sic formicae loquebatur*: "Tu, formica, sub terra habitas. Domus tua angusta est. In solo reptas, victum quaerens labore magno. At ego alis meis procul a terra feror. Ad regias epulas, quamquam non invitata, accedo. In manibus aut capite regis, cum mihi libet, sedeo. "Formica autem prudentior sic respondet:" Non nego hoc, quod dicis, verum esse; sed tamen impudentia tua omnibus odiosa est. Omnes te interficere cupiunt. Pueri ipsi te captant et cruciant.

Si felix es, ut dicis, felicitas tua non est diuturna; nam vivis quandiu sol fervet et aurae sunt tepidae. Ubi frigora hiemis appropinquant et venti gelidi flare incipiunt, vitam amittis. Ego aestate laboro, sed hieme, agens vitam quietam et securam, veris reditum expecto.

### PRO ALUMNIS TERTII CURSUS

#### Un diestro cazador

Diestro, *peritus*; pieza, *praeda*; invariablemente, *semper*; bien está, *recte*; por casualidad, *forte*; muy cara, *magno pretio*, *maximi*; cuerda, *funiculus*; apartarse, *regredi*; apuntar, *dirigere in*; disparar, *tonare*; detonación, *fragor*.

Marchaba con frecuencia el tío Pedro al monte a cazar (supino), pero jamás lo graba matar pieza alguna.

Al preguntarle su esposa por qué volvía todos los días con las manos vacías respondía él invariablemente: "Oh, querida esposa, ¿acaso no sabes que las piezas que cazo las doy a los pobres?"

Bien está—le contesta la esposa—y es una cosa muy hermosa el socorrer a los pobres, pero no es de alabar que siempre te olvides de tu esposa y de la familia. Al día siguiente marcha de nuevo a la caza. Por casualidad encuentra en el camino a una señora que desea vender una liebre viva. La compra muy cara y se dirige con presteza al monte. Llegado al sitio acostumbrado, para que no le suceda cosa desagradable, con una cuerda ata la liebre a un árbol. Después apartándose algunos pasos apunta a la liebre con su magnífica escopeta la que al instante dispara con una estruendosa detonación—El diestro cazador ha herido mortalmente ¿qué? la cuerda... y la liebre, suelta, se escapa velocísimamente.


## PRO ALUMNIS QUARTI CURSUS

### De armis quibus Romani in praelio tegebantur

Ab Urbe condita usque ad tempus divi Gratiani (1) et cataphractis (2) et galeis (3) muniebatur pedestris exercitus. Sed cum campestris exercitatio, interveniente negligentia desidiaque, cessaret, gravia videri arma coeperunt, quae raro milites induebant. Itaque ab Imperatore postulatum (est), primo cataphractas, deinde cassides (4) refundere. Sic detectis pectoribus et capitibus, congressi contra Gothos (5) milites nostri, multitudine sagittariorum (6) saepe deleti sunt; nec post tot clades, quae usque ad tantarum urbium excidia pervenerunt, cuiquam curae fuit, vel ca-

taphractas vel galeas pedestribus reddere. Ita fit, ut non de pugna, sed de fuga cogitent, qui in acie nudi exponuntur ad vulnera. Quid enim pedes sagittarius sine cataphracta, sine galea, qui cum arcu scutum tenere non potest, faciat? Quid ipsi draconarii (7) atque signiferi (8), qui sinistra manu hastas gubernant, in praelio facient, quorum et capita nuda esse constat, et pectora? Sed gravis pediti lorica (9) videtur, et galea fortasse, raro meditantii (10) arma, raro tractantii. Ergo illi qui laborem in portandis veteribus munimentis armorum ferre non possunt, detectis corporibus, et vulnera sustinere coguntur et mortes: et, quod est gravius et turpius, aut capi, aut certe fuga rem publicam prode. Sic dum exercitium laboremque declinant, cum maximo dedecore trucidantur, ut pecudes. (Vegetio, 1, 20).

*Adnotationes:* (1) *Gratiani:* Gratianus Imperator fuit Romanus qui imperavit ab anno 375 usque ad annum 383 post Christum. — (2) *Cataphractis:* Cataphracta est quaedam armatura. Tegmen est linteum, vel laneum, ferris squamis consertum, quod aliquando pectus, aliquando totum hominem et totum equum munit, quo tum pedites usi sunt, tum equites. Differt a lorica quae est munimentum pectoris, ventris, dorsi et laterum sed facta ex corio. (3) *Galeis:* Galea est tegumentum capitis ad munimentum in bellis contra ictus ac tela. (4) *Cassides:* Cassis et galea differunt aliquando. Illa enim est de lamina seu metallo, ista de corio est. Saepe tamen promiscue ponuntur. — (5) *Gothos:* Gothi inmanissimae fuerunt gentes quae acerrimis bellis afflixerunt populos, plurimasque urbes clarissimas devastarunt. — (6) *Sagittarius:* Miles sagittis pugnans. — (7) *Draconarii:* Draconarius erat signifer qui vexillum portabat dracone insignitus. Draco erat signum in singulis cohortibus, sicut aquila erat primum signum totius legionis. — (8) *Signiferi:* Signifer erat qui in exercitu vexillum ferebat seu aquilifer non cohortis sed legionis. — (9) *Lorica:* (Vide supra (2)). — (10) *Meditantii:* Meditationes erant exercitationes campestres, motus militum, vulgo "maniohra".



*Arcuballista:* Erat parva catapultilla qua arcuballistarii tela vel saxa emittebant.

PALAESTRICUS



in Latinum transla-  
ta a R. P. Ludovico  
**M A R C O S**  
**C. M. F.**  
Villae Rosarii in  
Argentina litt. Lat.  
Professore


VIII

Deinde venatorem rogavit nauta ut machinam custodiret, dum ipse vicum adit quaeritans fabrum cui ferramenta pessumdata traderet concinnanda.



IX

Titus intuendi cuncta cupidine magnopere actus, nusquam enim viderat aeneum alitem, conscendit aëroplanum, cunctanter omnia lustraturus.



X

At omine infausto electricum globulum cane perferente versa est in gyros celerius helice, totaque contremuit machina, admodum pavitante Melampo.



(Sequetur).

# BIBLIOGRAPHIA

**Ugo Enrico Paoli**, «Primus Liber». Con Illustrationi di P. Bernardini (terza edizione) C. Editr: G. B. Sansoni. Firenze 1937; Pag. 310

Finem quem sibi proposuit auctor ut alumnorum taedium in linguae Latinae institutione discuteret mirum in modum adeptus est; ita ut si in Palaestram litterarum descendisset omne tulisset punctum quippe «qui miscuit utile dulci».

Opus constat partibus octo; continet enim fabellas et ridicularia, sententias, facete dicta, praeclaras veterum voces, notabilia quaedam, aenigmata, proverbia, narratiunculas et colloquia. Vere florilegium est selectissimum, alumnisque primae Latinitatis mirifice aptatum, lectu jucundissimum, jocosisque illustratum imaginculis. Hujus libri praestantia editiones quae brevis temporis spatio prodierunt confirmant.

J. M.<sup>a</sup> JIMÉNEZ, C. M. F.

**Prisca fides, Romana fides hac nitimur una** Poëmatum a P. Fiorentino Ogara S. J. composuit. Romae, 1938.

Auctor hujus poëmatis, in Sacra Scriptura et in Antiquitatibus christianis versatissimus, ut ex ejus operibus patet, lyram quoque Vergilianam non sine magno successu arripuit. Perpulchrum hoc poëma extractum est ex commentario «Sint Unum» a Patribus e Societate Jesu in Universitate Gregoriana edito. Occasionem conscriptionis explicat poëta in Praefatione, disticis jambicis trimetro et dimetro exarata, cum ait:

«Nam fortuiti me (sit huic pax vocolae)  
Calcante mali corticem,  
Umeri duobus inde fractis ossibus  
Hoc praeparavit otium»

Additque se cum in lecto jacere cogere, poëmati componendo accinctum esse. Praeter praefationem, quattuor partes sive cantus complectitur, hexametris versibus concinnatos, quorum sunt tituli: «Sanguis Martyrum», «Lux in tenebris lucet», «et graece «Petros», «Theotokos», ubi descriptione Catacubarum glorias Martyrum celebrat; jura Ecclesiae et Pontificatus, cultumque Jesu Christi et B. M. Virginis in primaevis christianis exultat.

Opus comitantur aliquae tabulae photographicae ex picturis Catacubarum desumptae. Versus structura vere classica gaudet, auctoremque vere humaniorum litterarum cultorem, et poëtarum latinorum lectorem assiduum demonstrat. Ut ei Musa latina semper arrideat, exoptamus.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

**Karl Thieme**, «Lebendiges Latein in modernen Briefen». 5 Auflage von «Scribisne litterulas Latinas?» besorgt von G. Merten.- Ferd. Dummlers Verlag. Bonn, Kelsierstr. 35, 1937; 108 S.

Pervulgatus ille liber «Scribisne litterulas Latinas» nunc quintum prodit emendatus et amplificatus a Dre. G. Merten viro eruditissimo. Plus centum constat epistulis latino simul et germano sermone propositis, de communioribus vitae nostrae rationibus. In eo itaque epistularum copiam reperies de ratione rogandi, invitandi, gratulandi, commendandi, referendi deque recentissimis argumentis, ex. gr.: de cinemate, de radiophono, de cursu automobili, de certamine pugilatorio, eorum cursu et ita id genus. Continet quoque appendicem geographicam satis plenam civitatum, fluminum cet. quae in epistulari commercio frequentius occurrunt.

Omnibus qui litteras Latinas vel ex officio teneantur conficere vel proprio motu in eis sibi exercere cupiant, magno hic liber emolumento erit.

JOSÉ M.<sup>a</sup> JIMÉNEZ, C. M. F.

**B. Sánchez Fernández, Presbítero.**

*Ortografía Española en verso.* 9x7 - 32 pag. Ptas. 0'50. XXVI.<sup>a</sup> Edición - Librería Religiosa «LA FUENCISLA» 1938.

SEGOVIA.

In hoc pulcherrimo opusculo Auctor, Paedagogus illustris, cunctas penitus Ortographiae Hispanicae Linguae regulas versibus rite conformatis clare, ordinate, ac lepide evolvit, exponit et tradit. Parvitate ac brevitate non obstantibus admodum est completus Tractatulus. Patens est insuper argumentum benignissimae atque universalis hujus opusculi acceptationis, editionum numerus; dono namque quattuor et viginti editionum, mensibus duobus et viginti muneratum est. Hocce igitur opusculum summam opem afferet alumnis scholarum Primariae Institutionis atque in suo munere obeundo etiam Magistris opitulatum veniet.

Ipsamet tandem versuum pulcritudo et affluentia memoriam lectorum adigunt, ut universas Ortographiae Hispanicae Linguae leges pernix deprehendat, necnon et tenacissima retineat.

GREGORIUS MARTÍNEZ CABELLO, C. M. F.

Imprenta-Litografía de Octavio y Féliz.-Zaragoza